

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1746)  
**Heft:** 1

**Artikel:** V. Cl. Conradi Gessneri epistola de Constantia in fide, adversus apostasiam  
**Autor:** Gessner, Conrad  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394574>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 26.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

---

V. CL. CONRADI GESSNERI

Epistola

De Constantia in Fide,  
adversus Apostasiam.

---

D. JACOBO DALECHAMPIO,

Medico Summo

\* CONRADUS GESSNERUS, S.

**S**alus et Pax a Domino. Vivere te nobis, et  
superfitem esse, Vir Ornatissime, tantis  
tumultibus, gaudeo. Faxit Deus, ut Spi-  
ritu quoque vivas tum hanc mortalem, tum me-  
I 3 liorem

\* Debemus hoc ἀνέκδοτον, quod et propter Auto-  
ris celebritatem & propter argumenti gravitatem quam  
maxime dignum videbatur, ut ab interitu vindicaretur,  
Humanitati Clariss. Viri et Collegæ conjunctissimi JO.  
JAC. HULDRICI, Professoris Ling. S. in Collegio quod  
vocatur Humanitatis dignissimi, qui e divite penu, a Pa-  
tre Majoribusque, Clarissimis Viris, relicto, hanc gem-  
mam, hoc κειμηλιον, nobis rogantibus indulgere ac Mu-  
sæo nostro inferre voluit. Patet autem ex hac Epistola,  
quam verum sit luculentum illud de GESSNERO nostro  
Testimonium, quod legitur apud Garidel Histoire des  
Plantes qui naissent aux environs d'Aix &c. in Præf. p.  
XVIII. „ Il ne fut point borné par la Medecine & se

liorem postea , et immortalē vitam. Restuas  
ita afflictas & imminutas esse, doleo : Sed æquo  
animo feres , donec Deus meliora dederit : qui  
te forsitan hac occasione et his casibus , tum ca-  
stiga-

„ parties. La THEOLOGIE , l'Histoire ; la Poësie &  
„ plusieurs autres sciences firent son partage. L'on n'e-  
„ xagere point , quand on dit de lui , qu'il étoit le  
„ VARRON & le PLINÉ d'Allemagne ; l'on pourroit  
„ y ajouter sans hyperbole , de tout le Monde savant.  
„ L'illustre Mr. le President de Thou a raison d'être sur-  
„ pris , qu'un homme seul puisse a l'age de XLIX ans  
„ avoir composé tant des ouvrages & en si grande quan-  
„ tité. GESNER lui-même ne rougit pas de dire dans  
„ sa Bibliothèque , qu'il étoit obligé de faire des Livres  
„ pour du pain ; cela n'est pas extraordinaire , mais  
„ d'en faire près de cent , tous bons & utiles , c'est ce ,  
„ qu'on n'avoit jamais vû , ni peut-être qu'on ne verra  
„ jamais. „ Data est hæc Epistola , quæ pium GESNE-  
RI animum et affectum in puriora Religionis sacra acer-  
rimum abunde prodit MDLXII. ad d. VIII. Jan. Fuit autem  
JAC. DALECHAMPIUS Cadomensis , qui juxta Tourne-  
fortium Instit. Rei Herb. Tom. I. p. 34. maximam vitæ par-  
tem egit Lugduni inter medendum , cum civium , tum docto-  
rum Virorum magna existimatione. Obiit An. MDL-  
XXXVII. Vir multifaria eruditione insignis , græcis etiam  
Literis doctissimus ; Sed clarus inprimis Historia generali  
Plantarum , quæ vulgo dicitur HISTORIA LUGDUNEN-  
SIS , de qua videtis Tournefort. l. c. Quædam etiam de illo  
memorat Thuanus Lib. II. Comment. Vitæ suæ. Quan-  
tum ex duobus locis Epistolarum GESNERI ad Bauhi-  
num conjicere datur , nihil profecit hac sua Disualoria  
GESSNERUS , sed potius DALECHAMPII animum ,  
nullis rationibus amplius ad saniora consilia flectendum ,  
exasperavit , atque ita alienum reddidit , ut omnem cum  
Gesnero per Literas colloquendi consuetudinem abrum-  
peret : Ita enim Gesnerus ad Bauhinum Joannem prid.

stigare paterne, tum ad meliora movere vult. Dolui profecto toto pectore vehementer, cum te virum magnæ doctrinæ et autoritatis a partibus nostræ religionis discessisse audivi. Impulit te forte quorundam temeritas et improbitas, qua de conquereris, sed oportebat te adeo affixum esse et inhærere Verbo Dei, ut nulla vi, nulla injuria inde dimovereris. Ignosce mihi, mi suavissime Dalechampi. Propter meum in te amorem, tuas virtutes, & in me beneficia, agam tecum ita familiariter, ac si conjunctissimus tibi a puero fuisssem, aut frater essem germanus. Sollicitus fuisti nimium, nec perpendisti illud: *Quærite primum Regnum Dei, & alia omnia vobis adjicientur.* Pompam et vim majorem in adversariis nostræ Religionis, quam in nostris vidisti, lucrum etiam et honores apud illos majora: et aliqua nostrorum

I 4

pec-

Kal. Sept. MDLXV Lugdunum perscripsit: „ D. DALE-  
 „ CHAMPIO libellos nostros te ostendere cupio, quos  
 „ & si ipse desideret, mittam ad eum alias, quanquam  
 „ ipse JAMDIU scribendi officio intermisso pertæsus  
 „ amicitix nostræ videtur. Sicut & D. Constantinus for-  
 „ tassis, quod mihi sane molestum accidit, præsertim si  
 „ animi alienati fuerint. Litteris enim carere possum,  
 „ cum et ipse sim perpetuo occupatissimus. „ Et Id.  
 „ ad Eundem p. 131. „ Si D. DALECHAMPIUS apud  
 „ vos est et expectat ut ad Epistolas aliquot postremas  
 „ suas respondeam, faciam lubens: nunc partim quia  
 „ occupatissimus sum, partim quia de ipsius in me ani-  
 „ mo, mutato forte, si ultimas meas recepit, certior  
 „ fieri cupio. Quod si is vel abest Lugduno, vel adest  
 „ quidem, sed a me (quod Deus avertat) alienatus,  
 „ prospicias mihi de alio quopiam Medico erudito Lug-  
 „ duni, aut in vicinia, ad quem scribam interdum. „ J. B.

peccata, quæ non dubito multa esse et magna, non talia tamen nec tanta, ut propter illa Antichristo, ejusque membris te agglutinare, et tuam illis salutem credere debueris. Sed dubitas forte, an Pontifex Romanus sit Antichristus ille, tot sacris oraculis prædictus: aut etiam forte asseris, non esse. Utrumvis horum facias, declaras, te in sacris lectionibus & contemplationibus, homine christiano dignis, parum esse versatum, adeo enim luculenta sunt et evidentissima argumenta ac testimonia in sacris Literis, ut omnino fateri cogant, illum unum (Papam Romanum dico) ipsissimum esse Antichristum: de quo ego (Dei gratia) non magis dubito, quam bis duo esse quatuor. Tu si idem existimas, cur facis contra conscientiam tuam? cur vis Θεομαχεῖν? nam et sua cuique conscientia veluti Deus est, accusat, damnat, aut absolvit. Causas aliquas vulgi furoris, aut nescio quas alias dices: Mitte illa, parva sunt omnia, si rei caput spectes, hoc est Christum et Antichristum conferas. Hic te exerceri, discere et intelligere, & discentem veluti repuerascere, tuas rationes, quibus male imbutus es, abjicere, puerum et discipulum Scripturæ fieri oportet. Maximum Antichristi signum est, usurpare sibi, quod Christi est et Dei, peccata hominum condonare, & cælum polliceri, inferos minari, omnia vendere: Minimum vero certos cibos & matrimonium prohibere: quod utrumque quis facit in orbe terrarum, quam ille, quem id facturum prædictum est? de signo majore judicare non omnes possunt, de minoribus illis duobus omnes. Voluit enim Spiritus Sanctus talibus notis  
 eum

eum notare, ut nemo, se non intellexisse, excusari posset. Cibus certe et matrimonium neque condemnare nos, neque justificare possunt: in his libertatem nobis permisit Deus: In his tamen prohibendis intelligi Meretricem Babylonicam, veræ castitatis et matrimonii hostem, voluit: Argumenta alia sunt media, quæ a locorum et temporum circumstantiis & actionibus ipsis, ut persecutione piorum, petuntur. Fateor his de rebus me imperitius et frigidius loqui, quam deberem, fateor me quoque in sacris Literis perparum esse versatum: ad hanc tamen intelligentiam animo meo prorsus indubitatum quod perveni, est quod Deo O. M. perpetuas agam gratias. Quod si tu quoque relictis et intermissis, hoc tam duro tempore aliis studiis, lectionibus sacris incumbas, & preces ad Dominum Deum, misericordiæ fontem fundas, ut aperiat oculos mentis tuæ, ut quæ legas intelligas: & vim addat voluntati, ut quæ vere bona intellexeris, ames, & amplectaris; quæ autem vere mala refugas: denique in ipsius et Christi ejus honorem et gloriam referas omnia: hæc, inquam, si feceris, vel brevi tempore senties te intelligere et amare melius, certius et solidius, quam ante hac unquam, ea quæ vere pii intelligere et amare debent. Relinque civilem illam tuam prudentiam, relinque nuces, jam tempus est ut altiora sapias, & meliorem magistrum, quam tua tibi Ratio est; audias: illum nempe qui clamat: *Ego sum via, veritas & vita.* Quis aliam præter Christum viam ostendit? Vos qui sanctos innumeros, & eorum intercessionem additis; vos qui operibus vestris salutem, aut ejus  
par.

partem aliquam adscribitis, partem fidei & Christo; vos qui fingitis & venditis purgatorium & alia multa. Quis aliam veritatem? vos qui sacræ Scripturæ et oraculis Christi, ejusque Prophetarum et Apostolorum additis Patrum, Conciliorum, Pontificum decreta, tanquam imperfectæ & non sufficienti veritati: Vos qui articulos fidei, quod Symbolum Apostolorum vocant, a primitiva Ecclesia ceu perfectam professionis nostræ formulam, imperfectam damnatis: et illud profitentes, nisi plura quoque a vobis addita, tanquam ad salutem non minus necessaria, credere se vobis assentiantur aut simulent, tanquam hæreticos ad mortem rapitis. Ignosce mi frater, si nullo ordine, nulla dicendi arte, multa congero: effundit enim meus in te amoris fervor, qui e faucibus Antichristi te eripere impetu quodam cupit, ut quodque maxime in mentem venit, et temporis etiam brevitatis abituri jamjam Nunciū ad *Constantinum* nostrum aliter mihi non permittit. Iterum dico, relinque civilem illam tuam prudentiam, qua hætenus excelluisti, abjice curam rerum illarum, quæ fructum aut existimationem aliquam hominibus inter homines parere solent: Omitte saltem ad tempus studia illa tua humanæ doctrinæ elegantioris, qua jam dudum plerosque alios omnes superas. Historiam rerum Naturæ utcunque dulcem, & meas delicias, intermitte, obsecro. Da te integrum Domino hoc tempore. Cogita, sapientissimus ille omnis ævi Salomon, quantus in Naturæ simul & rerum civilium scientia fuerit, & quam turpiter, & flagitiose se postea dederit. Abde te totum intra te ipsum,

ipsum, memento te esse hominem mortalem, & non procul a fine tuo abesse, ne secundum naturam quidem, etiamsi causa superior nulla accedat. Converte te quantus quantus es ad divinam Scripturam, meditationes sacras & erga Deum preces; quod si facere non potes, illum ora, qui omnia potest, ut vim & voluntatem ad agnitionem tui, sui que tibi largiatur: orare si non potes, (impedit enim hoc quoque subinde Sathan:) gemitu saltem & suspiriis invoca illum solum, qui solus intima cordis nostri videt, & solus uno momento cognoscendis & exaudiendis omnibus in universo mundo desideriiis & invocationibus sufficit. Converte te in lachrymas similes divi Petri lachrymarum, cum Christum suum negasset; idemque ille, qui invocantibus omnibus, tibi quoque erit propitius. Hæc etiam non sine lachrymis, quibus erga te simul & universum Galliæ statum afficio, scribi a me putes. Include te obsecro totum in sacratissimum utriusque Testamenti Asylum: Hanc sacram Anchoram tibi existimato. Didicisti aliquando in Mathematicis rationem a Phantasia & materia abstrahere, & ad cognoscendam materiam in physicis, νόθω καὶ Πλάτωνα λογισμῶν, formam omnem, omnia accidentia illi negare, & considerare rudissimam & propemodum nullam; ita nunc veritatem considera, considera externa omnia, utcunque magni apud homines momenti, ab ea separe quicquid ei homines apposuerunt, bono malove animo, quicquid Ratio & Phantasia nostra affingit, fortunas, divitias, honores, omnia hujus vitæ commoda, ipsam denique hujus corporis vitam.

Putat

Putā hęc omnia sacrificia quędam esse offerenda & sacrificanda Deo, partim ut illi agamus gratias, quod illis aliquandiu uti & frui concesserit, partim pro nostris peccatis, non tanquam satisfactionem, sed confessionem.

Agnosce, agnosce te magnum peccatorem, non deerit tibi magna gratia ex illo solo & infinito gratiarum fonte. Admitte veritatis simplicitatem, adjectitia omnia rejice. Non remitto te, Dalechampi frater, ad novos nostrorum hominum libros, *Calvini*, *Lutheri*, *Vireti*, aliorum: quamquam illos organa Dei existimo, & pleraque in illorum Scriptis sancte et pie esse scripta. Video illos homines esse, et errare posse. Ad solum vetus Testamentum te remitto, quo ut nihil antiquius in ullis literarum monumentis, ita nihil verius a condito mundo, una eademque veritate, una simplicissima salutis via durante, in coelis aut in terris extat. Ad hunc, inquam, perennem verę doctrinę & pietatis fontem, & veluti flumen ex eo emanans aquę vivę, Testamentum novum, interpretationemque illius te remitto: et utinam cogere te etiam, si nolis, vi aliqua possim: at Deum ut cogat, adigatque rogo. Doceant te Patriarchę, Prophetę, Apostoli, Christus ipse. His te prębeas discipulum & auditorem. Ora, jejuna, lege, contemplare, loca dubia, obscura, & quę in speciem pugnare videntur cum aliis compone, conser, iterum atque iterum lege. Aderit procul dubio invocatus vel statim, vel brevi tempore (etsi hoc illi pręscribi nec potest nec debet) Spiritus Domini, qui omnem veritatem te edoceat, et in omnibus casibus et periculis te mu-

muniat, soletur, confirmet, quod ubi contigerit admiratio ingens tuum pervadet animum, et veluti stupor quidam in alio mundo constituti, in aliam vitam regeniti; brevi consuetudine tam clara tibi, dilucida, jucunda, dulcia fient, vel omnia, vel ea certe, quæ ad salutem necessaria sunt, ut vehementer te sis incusaturus, qui antea nunquam intellexeris illud Domini nostri: *Non solo pane vivet homo: Sed omni verbo, quod egreditur ex ore Dei.* Et illud Psaltis: *Felix qui in lege Domini meditatatur dies & noctes.* Et illud Petri: *Faciamus hic tria tabernacula,* aliaque plurima Scripturæ loca, quæ summum bonum et perfectam felicitatem in animo ita constituto, id est hæc intelligente et amplectentē, collocant. Cupio te fieri Θεοδιδαντον et discere ab illo, qui animam et mentem tibi dedit, ut disceres, cognosceres et amares illum, a quo accepisti te ipsum, et parentem ac patriam in coelis quærereres: Hunc si integra animi assensione infinitum et incomparabile bonum esse admiseris, quocum conjungi, aut conferri possit ac debeat nihil, qui solus ubique expleat et excedat omnia, solus perpetuò ubique omnibus præsens, solus omnipotens, omniscius, optimus Maximus; qui certe honor ejus est proprius, quo nemini alii cesserit, cujus gratia æmulum sese profitetur, quem nec hominibus nec Angelis communicat: quis enim illorum vel est ubique: vel alicubi cum sit, omnia scit, aut potest, ut invocari æque ut Deus ubique ab omnibus debeat? quis illorum legem nobis tulit? aut contra quem ita peccamus atque contra Deum? quis illorum tota puritas, sinceritas et veritas, et tota  
natu-

natura impeccabilis est, aut fuit? Hunc inquam Dalechampi si vere cognoveris, et amaris cognitum, qui solus est ineffabilis, ipsamet gratia, ipsissima misericordia & omnis bonitatis ac justitiæ idea, quod in unigenito Christo suo nobis declaravit, deplorabis miseriam tuam & infelicem in quo nunc es statum, quod ad hanc usque ætatem tanto bono carueris, et ratione humana tantum aliqua ex parte ipsum cognoveris & amaris: non tota mente et spiritu, non illa sapientia, non illo fervore et zelo, quo oportebat. Quod si vel exiguam veræ sui cognitionis amorisque portiunculam largiri tibi dignatus fuerit, quod ut faciat incessanter orabis (per Dominum nostrum Jesum Christum, *id enim solum Nomen ad salutem nobis datum est sub Coelo, solus ille vere μεστῆς inter Deum Patrem & homines, solus videlicet Deus & homo:*) mox in quantis tenebris fueris ante hac agnosces, & accusabit te conscientia tua, ac proximum desperationi, damnationique constituet: sed sublevabit te mox Spiritus Dei hac tua agnitione contentus, pro infinita sua misericordia; et scintillam pietatis in te nondum extinctam augebit, excitabitque languescentem, introducet te in penetralia Dei, ac veluti nudum nuperque natum infantem Gratiaæ divinæ in Christo educandum sistet. Nega te ipsum, abnega rationes tuas humanas, renuntia huic mundo. Noli esse durus, morosus, difficilis, perversus, ne te sero pœniteat. Deo per fratrum admonitiones, et conscientiam tuam vocanti te ac trahenti ne repugnes. Sequere, sequere, Christus te vocat ad tuam felicitatem et suam gloriam. Ἔως ἔτις Θεῶ.

Co-

Cogita, rationes humanæ quam multis imposuerint præstantissimis Viris, et imponant quotidie. Crede Deo et divinis Oraculis: etiamsi rationes eorum omnes nondum perspiciat sensus tuus. Multa puer credidisti parentibus, quorum tunc rationes ignorabas, nunc autem intelligis. Deo itidem et ejus Verbo si credideris, eique soli semper per omnia te facilem præbueris, paulo post adultior provehente Spiritu Domini intelliges vel omnia, vel quantum satis est tibi. Nunc veluti per hypothesin (rogo te et obtestor) mihi hoc concede, homini, qui solidam pietatem et sinceram felicitatem quærat, sacras Literas esse legendas, et omnia, quæ cum illis consenserint approbanda, sin minus rejicienda. Autoritatem Scripturæ stabiliat tibi ipsi evidentia rerum et eventuum certitudo, tum illorum, qui olim e venerunt, et suis in Veteri Testamento Prophetiis responderunt per omnia in Novo: tum eorum, quos videmus et experimur quotidie, circa nos simul et Antichristum ejusque membra, ita profus ut prædicti sunt in utroque. Dices forte credendum etiam sanctorum Patrum interpretationibus: hoc ipse jam fassus sum, si cum Scriptura fecerint. Nam neque ipsi amplius sibi credendum postularunt, nec ad consuetudinis nec Patrum aliorum consensum aut suffragia, sed sacrarum duntaxat Literarum provocarunt: sed quid facias, ubi loca Scripturæ videntur pugnare? conferenda quæ in eandem sententiam prolata sunt omnia aut plurima, et diligenti collationi adhibendum judicium, quod in gloriam Dei omnia referat. Salutis nostræ ratio, modo operibus, modo fidei

et

et gratiæ adscribitur , sed quis non videt magis glorificari Deum , si integrum salutis nostræ negotium gratiæ ejus et Christo acceptum referamus ? Nos igitur nihili faciemus neque laudabimus bona opera ? faciemus Deo juvante , & laudabimus : sed summam salutis & proprium Dei honorem non ascribemus illis , agnoscemus infirmitatem nostram , et modeste cum summa humilitate dicemus , quod dicere nos Dominus jubet , *etiamsi fecerimus omnia , quæ nobis sunt præcepta , servos tamen inutiles esse nos.* Faciemus , quæ Dominus nobis præcepit , & ut faciendi vim ipse det atque promoveat rogabimus , ut ita profiteamur & testemur fidem nostram , ut proximo beneficiamus , & sic faciendo tum illi proficimus & ad eundem ejus cultum alliciamus alios & Deum Patrem nostrum in Cœlis imitemur benefaciendo : qui nos eam ob causam ad sui similitudinem creavit. Beneficiamus tanquam filii , qui parentes agnoscunt , amant , colunt , & idcirco integram hæreditatem ab illis accipiunt , etiamsi meritis & operibus vix exiguam , aut nullam ejus partem fuerint assecuti : non tanquam servi , qui meritoriis operibus suis , non amplius , quam meriti sunt , accipiunt : Mercedis enim spe , non nativo erga illos quibus serviunt animo & amore faciunt quæ faciunt : Deus se nobis Patrem futurum pollicetur , & pignus hujus promissionis dedit Filium unigenitum : qui solus perfecte legem servavit : hujus honori & gloriæ omnia referamus accepta , in hoc acquiescamus. Hæc nostra Hæresis est : quam toto orbe terrarum Antichristus excludere conatur. Non invocamus

Sar-

Sanctos, non adoramus aut veneramus imagines aut simulachra, non credimus purgatorium & alia quædam: quoniam horum omnium neque in Veteri neque Novo Testamento ulla extat mentio, nisi prohibitoria: nullum exemplum neque ante Christum in Ecclesia Dei, neque post illum in primitiva & sinceriore, quod vetustissimorum Patrum Libris, quibus hac in re fidem adhibemus, probatur: imo adversariorum nostrorum libris, atque decretis Pontificum, & historicis quibusdam. Ea enim quæ nos improbamus pleraque omnia, quo tempore & a quibus hominibus sint instituta & recepta, cum in more prius non fuissent, in illis commemorantur. Magna tamen impudentia clamitant Vestri, nostram Religionem nuperam ac novam esse, vestram vero antiquam falsissime. Nos nimium hæc et hujusmodi pleraque omnia, sed velim te ea non singula, sed ἀθρόα et universa considerando conjungere, ut confertissima quasi phalange argumentorum pro veritate, in illas, quæ supersunt in animo tuo Antichristi reliquias, impetum facias et expellas. Ne obsecro, te moveat, quod aliqui forte objiciunt, inter nos etiam multa esse circa religionem diffidia, et alios aliter de quibusdam Scripturæ locis sentire. Hoc enim ut non negamus, et semper aliqua sententiarum, ac rituum diversitas in Ecclesia fuit: ita in præcipuis et necessariis ad salutem articulis convenit nobis plerisque omnibus, quorum maximus, et aliorum ceu fons est: Soli Sacræ Scripturæ plenam autoritatem tribuendam, inque ea, quod ad salutem sit necessarium, desiderari nihil: & alter ab illo manans: Justificationem

K

nem

nem nostram non arbitrio nostro, nec nostris, aut ullis hominum operibus & viribus adscribi debere: ut enim aliquid sint opera nostra, sicut esse jam fatebar, Christo tamen accedente, si cum illo conferas, nihil sunt et subito obmutescunt; sicuti stellæ, quæ noctu innumeræ lucent, solis superventu tolluntur omnes et evanuerunt. Ex his duobus, si vel prius admiseris, bona spes est mihi de te: summum vero illud Principium si negaris, nulla aut perexigua. Considera Symbolum fidei nostræ, quod a primitiva Ecclesia ad nos est transmissum, id tanquam insufficiens quot articulis onerarunt vestri et superioris seculi homines: tanquam eis pro arbitrio Scripturæ et huic ejus Compendio, addere, vel detrahare quidvis liceret, ceu Legislatoribus Monarchis qui Legibus se subjectos non putarunt.

Redeo ad sacras Litteras tibi legendas, quæcunque in lingua, aut translatione (neque enim ita multum referre puto: ) iis si te exercere inceperis, magis magisque procul dubio mirifice tibi adlubescant illæ, non solum consuetudine juxta illud Pythagoræ: ἀφ' οὐβίον τὸν ἀγιστον, ἰδὼν δὲ αὐτὸν ἢ συνηθεῖα ποιήσει. Sed altior causa Spiritus Domini accedens tanta dulcedine universam mentem tuam implebit, ut, quæ ex aliis rerum naturæ contemplationibus animis ingenuis oboriuntur, voluptates pro nihilo ducas & nugas esse existimes: ac demum intelliges illud Esajæ, *oculum non vidiſſe; aurem non audiviſſe, nec ascendiſſe in cor hominum, quæ Deus præparavit amantibus ſe.* Hunc tu igitur ama super omnia & confitere Christi nomen, ea qua debes sinceritate, ut ipse  
 etiam

etiam coram Patre suo in cœlis te inter suos agnoscat. Non est, quod te moveant pericula, ignominia, paupertas et mortis metus: hæc enim illis, qui sequi se velint subinde expectanda et ferenda, præmonuit gravissime disertissimeque. Hoc tecum perpende in partibus etiam Antichristi eadem tibi metuenda, neque in illis (ne hoc quidem in mundo, ubi jam ruere incipit ejus regnum) tutum esse quicquam. Postquam vero in sacris Literis jam Dei gratia profecisse tibi aliquid videberis, non scientia tantum, et eorum quæ legisti memoria; sed etiam interiore Spiritus perfectione, tui ipsius agnitione & emendatione vitæ: tum et aliorum quoque nostri Seculi doctorum hominum, qui tum pro nostra religione, tum contra illam scripserunt, libros te legere et argumenta conferre velim, ita ut Deum semper ores, ne a veritate declines: Sed quid est, quod plura tibi scribam pleraque scienti et admonitione tantum egeanti? Summa hæc est, non posse te duobus Dominis servire, Christo et Antichristo, uni adhæreas oportet, alterum deseras. Præpara te vicinæ morti, ut in Christo obdormias, & in eodem resurgas. Rebus hujus mundi utere, tanquam non utaris, hoc est, ad necessitatem, non ad voluptatem et ambitionem. Ne immoreris quæso in rebus et scientiis humanis, sed illis obiter fruaris, perge ad finem piis omnibus propositum, in illum oculos dirige, nec retrospicias: quod ut ex animo et feliciter facias, et in præsentia summo desiderio efflictim a Domino nostro Jesu Christo toto pectore peto et petam in posterum. Nunc finem faciam, si semel

adhuc te admonuero , ut fatale hoc tempus ruen-  
 tis et ruituri Antichristi ob oculos mentis tuæ ti-  
 bi proponas : et quanquam impiorum aliqui suc-  
 cessus subinde videantur suum Antichristum re-  
 stauraturi, nihil tamen facient, nec durabunt il-  
 lorum victoriæ : quod ego tibi tanquam verissi-  
 mus vates prædico. Non est certe respicienda po-  
 tentia humana : si tamen tibi homini et humanis  
 rationibus seu conjecturis moveri assueto, illam  
 quoque intueri libeat : vide maximam Germaniæ  
 partem contra Antichristum stare, majore nunc,  
 quam antehac unquam, consensu, nihil enim illa  
 afflictæ et devictæ Carolus Quintus egit, aucta ab  
 eo tempore multum professione nostra. Major  
 Helvetiæ pars huic accedit : Item Regna Angliæ,  
 Scotiæ, Norwegiæ, Daniæ, et totus fere Sep-  
 tentrio cum Polonia & magna Hungariæ parte :  
 & inter ipsos etiam Turcas gliscit, foveturque  
 Evangelium, ita ut ab Imperatore Turcarum et  
 ejus proceribus jam aliquoties pro nostris contra  
 Papistas accusantes sit pronunciatum. Quod si  
 Religio nostra apud vos opprimatur, quod Deus  
 avertat, noli existimare impune id vos laturos :  
 excitabit Dominus, in cujus manu sunt corda  
 Regum, Anglos, Scotos, cum Potentissimis Reg-  
 nis vicinis Norvegiæ, Gothiæ, Sueciæ aut Scy-  
 thiæ nostræ ( a quibus nos etiam orti sumus &  
 lingua fere eadem utimur ) Germanos maritimos,  
 aliosque qui Galliam intrent, et longe lateque  
 omnibus vastatis, Regnum Christi restituant :  
 quod latere aliquandiu is patitur interdum, abo-  
 leri non patietur his extremis temporibus et fatali  
 Antichristi ruina : quam nunc nunc instare non so-  
 lum

lum ex Oraculis utriusque Testamenti, sed aliorum quoque sanctorum recentioris memoriae hominum colligimus. Ferdinandus Imperator jam senex est, qui cum vel morte vel ante mortem sponte deposuerit imperium, optima spes est, secuturum Imperatorem partes nostras vel manifeste adjuturum, vel minime contra facturum. Etsi hic etiam parum potest: Nuper Argentinæ, quæ Imperii civitas est, Missam ei, ut volebat, audire, non est concessum. Ex his et aliis Argumentis, Doctissime Dalechampi, instantem ruinam collige, & quam longissime potes a tam ruinoso ædificio te subducito, in quo corporis simul et animæ periculum tibi metuendum est: nostris vero si te adjunxeris ( non quod omnia simpliciter eorum dogmata aut facta probare te velim, quod nec ipse facio, ) animæ tuæ saltem consulueris: quam te servare potius, quam totum mundum cum illius jactura lucrari velim. Scripsi hæc magnis suspiriis, et subinde illachrymans: atque utinam lachrymis meis pro atramento scribere licuisset. Desino tandem et Deum rogo, ut te mihi, Patriæ, amicis et bonis omnibus, et suo præcipue honori propagando conservet. In hoc certe scribendi genere exercitatus non sum, sed meus in te amor, hæc qualiacunque mihi extorsit; utinam melius quod sentio, et ut ipsa rei Majestas postulat, dicere potuissem, nunc valde metuo, ne mea imperitia res per sese maximas imminuerim, quamobrem consulo tibi, ut homines pios et eruditos et Zelo Dei præditos, frequentes, cumque illis de rebus omnibus subinde conferas. Quod si isthic aut alibi in Gallia propter intesti-

nos hos motus non licet, aut non libet, veni quæso ad nos, mi frater Dalechampi, rebus et fortunis meis communibus mecum frui quamdiu voles, viatici etiam aliquid accepturus: inuenies hic omnia satis tranquilla Dei gratia, et homines aliquot pios ac doctos, qui benignissime te audient, et conferent in omnibus: idem cum nonnullis in via facere poteris. Mea etiam causa, et rerum Naturæ variarum, quas videre apud me poteris, et artis medendi nostræ non pœniteret, te fortassis me invisisse. Scripsi hæc festinanter et prolixius quam institueram: nullo ordine forsitan, et quibusdam repetitis, ignosce festinationi necessariæ. Ego si qua in re errare tibi videbor, mi frater, indica, increpa, boni consulam omnia, quæcunque bono animo a te profecta fuerint. Quod ad Libros Galeni de usu partium, quos patrio sermone donas: præstaret fortassis nimis prolixam et Asiaticam illam dicendi luxuriam Galeni arctius comprehendi.

Vale in Domino feliciter et rescribe. Literas autem vel Genevam ad Henricum Stephanum, aut alium quemvis, vel Lugdunum ad Gryphium dare poteris. Ad priores literas tuas responsa differo in maiorem tranquillitatem: quam ut Deus Optimus Maximus cum suæ Gloriæ propagatione quamprimum vobis restituat toto pectore opto.

*Tiguri Helvetiorum.*

J. C. G.

Relegere non licuit: tu quæ desiderari possunt explebis.

Bre-

Brevis Biographia

JO. HENRICI RINGIERII, S. Theol.

*Ann. viveret in illustr. Bernens. Acad. Prof. primarii:*

Excerpta ex Oratione panegyrica.

**L**ucem videre cœpit RINGIERIUS noster  
 Feria S. Joannis st. v. An. MDCLXVIII.  
 Iis Parentibus nasci ipsi contigit, quibus  
 non tantum, post Deum, hanc lucis usuram,  
 sed præcipuam etiam nominis claritatem debet.  
 Pater ejus fuit JO. HENRICUS RINGIER, Vir  
 famæ ac pietatis integerrimæ, prolixæ quoque  
 Eruditionis laude florentissimus, Ecclesiæ *Matthi-*  
*villanæ* Minister, qui varia quondam pro vacuis  
 in hac Academia Sedibus Profesoriis, ac præ-  
 clara, insigni cum laude edidit Specimina, & pa-  
 rum sæpe absuit, quin ad obeundam Profes-  
 sionem publicam fuerit adhibitus. Vastam hujus  
 Viri in rebus Theologicis, Philologicis ac Lin-  
 guis Scientiam & peritiam beatus, quem nunc  
 lugemus, Filius ejus ita semper miratus est, ut  
 non dubitaverit jam Senex profiteri, se cum Ge-  
 nitore suo comparatum in his Eruditionis parti-  
 bus nonnisi tyronem esse. Anglicæ vero Linguæ  
 eam sibi facultatem comparaverat, ut apud no-  
 bilem aliquem Patronum in Anglia sacro Verbi  
 divini Præconis munere integrum fere biennium  
 defungi non detrectaverit: Continuis vero diurnis  
 laboribus nocturnisque vigiliis ita exhaustæ sunt  
 corporis vires, ut quinquagesimum & tertium

ætatis annum vivendo vix attigerit. Mater autem pie nunc defuncti nostri fuit N. STRAUSSIA, fœmina pia & prudens, Venerabilis olim Sacrorum apud nos Antistitis *Strausfii*, multis pro Religione meritis laudandi, Soror. Præclaro itaque ac christiano sanguine natum non destituit deinceps neglectum piorum Parentum cura, sed ei recte formando diligentem impenderunt operam. Prima ipse Parens filio instillavit præcepta ac rudimenta, deinde in publicam Scholam *Tobiniensem* missus aliquam Linguae Latinæ facultatem sibi comparavit: post hæc *Matthisvillam* ad domesticos Lares revocatum, duodecim annorum puerum, in elementis græcæ ac hebraicæ Linguae Parens via brevissima ac Methodo longe facillima ita feliciter erudit ac confirmavit, ut deinceps proprio Marte & nullo fere negotio haud vulgarem harum Linguarum notitiam sibi comparaverit, quod ipsum etiam per omnem vitam suam grata mente deprædicare, & inter maxima a Patre accepta beneficia referre solebat noster. Primis hac ratione Eruditionis fundamentis positus An. MDCLXXI tertio decimo ætatis anno ad audiendas Lectiones publicas promotus fuit: Ita inter Academiæ Bernensis cives adscriptus Linguas primum eruditas, quarum elementa jam feliciter hauserat, mox deinde Philosophiæ studia, accuratius excolere, ac denique Theologicis disciplinis totum se tradere cœpit: atque in sublimiori ista Scientia Præceptoribus usus est Viris Celeberrimis WYSSIO ac RODOLPHO, quorum auspiciis quantos fecerit progressus dicere nihil attinet. Cursu vero studiorum in Academia nostra feliciter exacto An. MDCXCII post prævium Examen cum reliquis Candidatis, inter quos

Vene-

Venerabilis *νῦν ἐν ἀγγλοῖς* DACHSIUS pari ingenii ac eruditionis laude cum RINGIERIO nostro eminuit, manuum impositionem ac facultatem fungendi deinceps sacro Ministerii evangelici munere accepit. Sub idem fere tempus accidit, ut generosissimus à *Miilenen*, inter Generosiss. Holland. Ordd. Cohortes Chiliarcha a Venerando *Straussio*, tunc temporis Ecclesiæ apud nos Ministro, postea vero Decano, eruditum ac pium aliquem Virum deposceret, qui Præconis sacri munus inter copias suas militares dextre obiret: Hanc Spartam carissimo suo ex Sorore nepoti RINGIERIO nostro obtulit *Straussius*, idemque auctor ei ac suasor extitit, eam ne detrectaret, sed æquo animo acciperet: Cujus consiliis obtemperans noster iter in Belgium ingressus, & duobus fere annis tanquam Evangelii Præco castra secutus est. Posthæc ex consilio, quod jam e Patria discedens animo suo præceperat, sese Præconis castrensis munere Bruxellis abdicavit, & per Groningam Franekeram concessit, quæ per eam tempestatem Viris in omni Litterarum genere Celeberrimis, egregiaque disciplina inclytis quam maxime florebat. Hic audivit Viros toto orbe clarissimos *Vitringas*, *Roëllios*, *Wayenios*, *Rhenferdios* &c. quibus non modo diligenter & publice & privatim docentibus operam dedit; sed quorum etiam familiari consuetudine usus ex privatis colloquiis interiora sacrarum Disciplinarum arcana perdidicit. Celeberrimi tamen Roëllii, Theologi ac Philosophi acutissimi Collegia & institutionem omnium maximi fecit. Habuit ibi studiorum Socium Venerab. nunc Ecclesiæ Antistitem *Mo-*

*vellium*, Amicum quoad vivebat sibi **carissimum** gratissimumque. Quid quod etiam in Angliam excursionem suscepit & primum Londini aliquantisper substitit, mox deinde ad Universitatem Oxoniensem concessit, ibique famæ celebritate nobilissimum inprimis Virum *Bernhardum* frequentavit. Ubi primum ex Anglia in Belgium redux factus est, afferuntur ipsi Literæ a Generosiss. *Tscharnero*, tum Chiliarcha, postea Copiarum Gen. Holl. Ordd. Generali seu Legato, & tandem illustr. Reip. nostræ plebis Tribuno, quibus ipsum sollicitè rogat, ut apud Cohortes suas Evangelii Præconis munere fungi non dedignaretur: Votis igitur Generosiss. *Tscharneri* lubenti animo satisfaturus noster, nunc altera vice militiæ nomen dat, officiisque Evangelii Ministri inter copias illas egregie defungitur. Mox quum annum fere integrum in hoc munere exegisset, patriam respicere animo cœpit, ac redeundi venia impetrata Lutetias Parisiorum, inde Lugdunum ac Genevam profectus, post quinque annorum a Patria absentiam salvus ac incolumis ad suos rediit. Hic interjecto aliquo post reditum tempore ad munus Ministri Ecclesiastici *Zimmerwaldiam* vocatus est, quæ Ecclesia novissime excitata ac stabilita fuerat: Aliquandiu ibi degens, ac partibus quas susceperat satisfaciens, de fida sibi thori Socia ac Coniuge circumspexit, & matrimonii copula sibi iunxit SALOME FELLEBERG, generosi Viri *Beati Fellenberg*, Reip. nostræ Ducentumviri Spectatissimi, ac Præfecti Frauenbrunnensis meritissimi Filiam, quæ eximia in Deum ac proximum pietate, singularique animi mansuetudine & virtute  
omni

omni civili christianaque magnopere excelluit; qua cum etiam summa concordia ac suavitate annos circiter XLV exegit; & hoc ipso die annus in orbem redit, ex quo illa vitæ curriculum finiens æterna cum caducis commutavit, animamque Salvatori suo reddidit: Decem ex ea progenit Liberos, Filios IV & VI Filias, ex quibus nonnisi VI adhuc superstites sunt. Postquam varia *Ringierius* noster & egregia Eruditionis haud proletariæ specimina edidisset, cum in publicis & solennibus aliquot pro vacante Cathedra Professoria Disputationibus, tum vero etiam ex Umbone sacro vacante urbis Diaconatu, tandem An. MDCCXV munus *Prof. P. Ling. Græc. & Ethices* ab Amplif. Senatu Academico ei demandatum est, quo cum per triennium summa cum laude esset defunctus in *Cathedram Theologiæ Catechetiæ* successit An. MDCCXVIII. Mox deinde An. MDCCXX ad *Cathedram Theol. Elenchticæ* & denique An. MDCCXXXV ad docendam *Theologiam didacticam* admotus est, quam Spartam etiam usque ad ultimum vitæ terminum egregie exornavit. Obiit ad d. X: Maji An. MDCCXLV anno ætatis LXXVII, non tam morbo quodam graviore correptus, quam marasmo aliquo senili, quo exhaustis viribus in lectulum prostratus per aliquot hebdomadas quasi expirans jacuit: Ingentis in Deum fiduciæ & alacritatis exemplum omnibus ad eum invisentibus præbuit, morteque vere christiana comprobavit, se intime de iis esse persuasum & convictum, quæ vel in Ecclesia vel Academia docuerat. Scripta quidem non multa reliquit. Paucis tamen Dissertationibus Academicis, quas  
cum

cum orbe erudito communicavit, tantam sibi nominis famam conciliavit, quantam vix alii spissis voluminibus consequi potuerunt. Extant ejus

1. Dissertatio de Typis Antichristi: *Inserta Tempe helv. Tom. I. p. 449.*
2. Dissertatio de Consensu Protestantium in Doctrina de Prædestinatione, &c.
3. Dissertatio Theol. de Fontibus Errorum, eorumque πρώτοις ψεύδεσι; *quæ itidem in Tempe helv. descripta legitur.*

Præter pauca hæc nihil edidit, nec edere voluit, persuasus nil dici posse amplius, quod non dictum sit prius: quapropter nec *Opera posthuma* ab eo unquam erunt expectanda.

